

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

CXXXIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## CXXXIX.

LAUDUM INTER ILLUSTREM PRINCIPEM RUDOLFUM, MARCHIONEM BADENSEM, ET INTER ABBATIAM GOTTESAVIÆ SUPER NOVA VILLA HUIUS MONASTERII PROPE ECKENSTEIN, HODIE NEUREUTH DICTA.

A N N O M C C L X.

*Ex autographo tabularii Bada-Durlacensis.*

**I**n nomine Domini Amen. Litigantibus & dissentientibus Illustri Principe RUDOLFO *Marchione de Baden*, Berhtoldo Abbate & Conventu monasterii in Gotesowe ordinis Sancti Benedicti Spirensis diœcesis, super novali & plantatione ville site citra terminos & limites ville in *Eckenstein*, spectantis ad predium dicti conventus, de bona voluntate & unanimi consilio compromissum est ex utraque parte in tres personas, scilicet in Sifridum militem dictum *de Rietbûr*, Waltherum & Henricum notarios Marchionis antedicti. Que itaque litis discordia ab eisdem amicabiliter est sopita, hoc modo, quod dictus dominus Marchio singulis annis de qualibet Huba festo Johannis Baptiste duos solidos Hallenf. In natiuitate beate virginis Maldrum Siliginis & in festo beati Martini duos solidos Hallenf. & duos pullos capere debet, sine lite. Memoratus siquidem Abbas & Conventus dicto festo Johannis Baptiste duos solidos Hallenf. festo beati Martini dimidium Maldrum auene, &

duos solidos, nec non pro jure capitali quod vulgariter Hertreht vocatur duos solidos Hallenf. percipere debent de qualibet Huba superius prenotata. Nulla quidem contentione obstant, quin sepe dictus Marchio de proteruis ibidem commissis quinque solidos Hallenf. capiat nomine advocatie, & super fures judicium suum debeat exercere. Adjectum est etiam & compromissum, de consensu partium in memoratos Sifridum de Rietbure & Waltherum notarium, quod si sepe dictus Marchio molendinum juxta predictam villam Eckenstein duxerit construendum, facere debet sine dampno predii memorati, ita quod aqua effluens & discurrens Grangiis predii sepe dicti non inferat prejudicium vel grauamen: quod si secus visum fuerit ad restaurum dampni Marchio debet recompensare secundum quod dicti Sifridus & Waltherus fuerint arbitrati. Hoc tamen interposito, quodsi vnus vel ambo decesserint de hac vita, alii duo loco ipsorum de consensu partium euocentur ad discutendum de lite, si qua de predicto molendino possit in posterum suboriri. Insuper si dampnum per ipsius molendini constructionem nimis intolerabile videatur, dictum molendinum sine contradictione qualibet a sepe dicto Marchione perpetuo destruat. In cuius rei euidenciam & certitudinem plenior, figilla memoratorum *RUDOLFI Marchionis de Baden* & *B. Abbatis* presentibus sunt appensa. Hujus facti testes sunt videlicet *Heinricus de Rossleuac*, *Albertus de Dutenstein* milites, *Werenherus* advocatus de *Durlach* & alii quam plures, data siue acta anno Domini *M. CC. LX. xvij. Kalend. Maji.*

||  
(L. S.)

||  
(L. S.)

